Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 29. Januarii.

M. CAROLO DE LAVAL, Doctore Medico, Præſide.

An febres omnes à flatibus?

QUI fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura, hominum vitam felici conditione beaſſet, ſi qua lege naſcuntur, eadem voluiſſet occumbere: ac velut una dies præfinita omnes ad lucem evexit; ſic mors per morbos properata, incautorum vota ſæpius non antevertiſſet. Quod variæ ætates, lento moliuntur, id rapido die morbus exaggerat. Morborum nullus, aut frequentius, aut pertinacius homines de medio tollit, quam febris; quæ illis Præficis inclementior nullos non comitatur ad tumulum. Morbum omnem febrem eſſe neſcimus; hanc comitem habere fatemur. Quod febres frigidas alii obſervari obſtrepunt, habet latentis captionis inſidias; quia nomine ſimilitudinis coloratur. Solus calor extra naturæ cancellos auctus, in corde accenſus, abeoque quaſi profugus, febris ſpeciem ſolvit: ſeu in partem principem, ſeu in corpus univerſum propagetur, liquidæ inſtar flammæ ſeſe expandentis, vireſque progreſſu dilatantis, quæ multiplici aut fumi calentis aut maligni aſpergine, animi & corporis actiones præpedit. Cujuſcumque caloris ſobolem febrem ne putes, niſi quem exceperit morboſus in corpore apparatus, cujus varia ſupellex, variis caloris tenoribus tot febrium typos adæquabit.

IGNIS, quo ſæpius ars, plerumque natura carere non poteſt; vel naturæ vel artis eſt, ambo maxime diſſentiunt. Ignis naturæ aut univerſalis, aut individuus; ille omnem univerſi molem circumdat, penetratque, implicatas naturæ vires explicat, arcana ſecretiora aperit, à ſole velut à fonte diſſilit qui tanquam cor univerſi, calorem vivificum in omnes mundi partes effundit. Individuus naturæ ignis, viventi cuique innatus, ipſe eſt calor nativus, ab univerſali emanans, omnia in corpore, proportione quadam, quæ ſol in mundo operatur: at qui artis eſt, à putredine quamvis immunis, omnia ad diſſolutionem ſollicitat, omni generationi adverſatur, attamen, nec eminus nec cominus quid non præſtat utenti? præcipuæ illius vires acrius emicant in flamma, quæ eſt fumus accenſus, in qua fluit lucet ardetque: Hunc inter & calorem noſtrum multiplex eſt ſimilitudo, uterque motibus contrariis ſeſe tuetur, & vivit, aëre officioſam operam præbente; uterque hæret in materia pingui oleoſa; uterque alimenti penuria marceſcit, copia opprimitur, tranſpirationis defectu ſuffocatur; atque ut ignem, vel levi flatu aër ſi ventilet, flammam dabit; ſic calorem noſtrum ſi quid irritaverit, febrem accendet mortis vicariam. Non ſolus homo ignis furori objicitur; quidquid attingit prædo ille, ſtatim depaſcitur, mundi & naturæ exitio deſtinatus.

SPIRITUS, cujus virtuti paupertas ſemper obſtat, numquam nocet abundantia, ſubſtantia tenuiſſima ſubtiliſſima, caloris nativi cum humido primigenio connubium, (cujus divortium morbo tentatum ſola morte perfectum eſt) fovet & incubat. Sapientiæ tanquam ille particeps ſuo ſe includit opificio, ut ubique præſens ſuſcipiat opus & abſolvat, augeat abſolutum, ac vim ſpeciei propagatricem cuique impertiatur; nonne omnia videtur intelligere, tam præſentia quam futura? in animantibus ut proprio inſtrumento, calore utitur, quem ad diuturnitatem pingui pabulo alligat, cujus jactura, nulla victima expianda, tardius promovetur, quo blandior & minus vorax calor fuerit; illius integritatem tuetur reſpiratio, cum aëris libera reciprocatione ſpirituum triplicem ordinem opportune recreat, quorum alter ab altero ut facili negotio, ſic ex puriore ſanguinis parte alteruter cuditur difficiliori: at majori arte omnes ex libero aëre refocillantur, ex quo flatuoſo & impuro inficiuntur, turbantur, urgentur, incenduntur. Spiritus qui ſtare non poſſunt, violento & alieno motu offendi mirum eſt: at corpus humanum à præcipiti illorum agitatione liberalius incaleſcere æquum videtur, cum ſint igneæ naturæ participes: Hinc quo eorum celerior fit diſtributio eò citius totum corpus humoreſve in flammeum & febrilem ardorem dedunt.

SPIRITUM non raro mentitur flatus, ſed quamvis, eodem nomine, non eadem indolis probitate inſigniuntur; ſpiritus eſt origo virium, flatus in ſe cauſam doloris & caloris continet; & ut partes probe temperatæ legitimum creant ſpiritum, ſic fraudulentum parit, earumdem calor auctus, vel imminutus, vel humiditas anguſto loco concluſa. Quinque vero cauſæ producunt calorem. Motus quo incaleſcere corpora demonſtrant exercitatio concitatior & animi affectus vehementiores. Putredo, communis rerum omnium, etiam ſpirituum, interitus, in qua quæque conſpiciuntur fieri aſcititio calore fervidiora, uſtio altera ſpecies putredinis eſt, utriuſque diſcrimen partium humidarum conſumptione & extractione concluditur. Vicinia vel contactus rei calidæ multifariam calorem communicat. Obſtructio, ſtipatiove, prohibitis excrementorum effluviis. Permixtio rei calidæ ut alimenti, medicamenti. Has omnes cauſas in ſpiritibus, calori ſuſcitando impares, nemo judicabit; præſertim ubi flatus commixtus ſpiritui, quem imitatur, eum magna vi compellit, viſcerum enim calore, inſitoque motu attenuatus, tunc penitiſſima corporis membra ſubit, exiguos meatus diducit, unitatem ſoluit, cum truci dolore & calore deurente: hinc humorum agitatio, & ſpirituum turba excitatur; quorum junctione audentior, ac velut agmine facto creſcit in Herculem, ac corpus univerſum concutit & humores ſpirituſve ultra modum inflammat.

FEBRIUM generationem, & omnium quibus convolvuntur ſymptomatum ponderoſam molem conſideranti, à ſpiritibus pendere facile perſpicuum erit, qui à Divino Sene aërem, ventum, flatumve ſpiritum eſſe didicerit: quævis enim ſubſtantia eximiis viribus prædita cum ſit, oculorum tamen aciem fugit, ſpiritus nomine gaudet. Tanta neceſſitate flatuum copia in nobis cumulatur, quanta cibus, & aër ad vitam deſiderantur. Multitudo quippe halituoſi ſpiritus ex cibo & potu, humore pituitoſo aut melancholico ab imbecillo calore excitus, flatus eſt; ad cujus generationem duo neceſſario corpora noſtra præparant; victus ratio & aëris conſtitutio. Quæ ſi qualitate frigida, calida, vel copiâ ultra modum peccent: multum & inutilem humorem cumulant, caloremque nativum opprimunt; unde cruditatum flatuumve magna vis, qui curſu liberiori, vel calore aſcititio aut proprio everberati & accenſi, qua data porta univerſum corpus impetunt, ac quâ libertatis gratiam non reperiunt, tremorem, frigus, horrorem, rigorem incutiunt, oſcitationes, pandiculationes excitant, animi inquietudines, corporis jactationes invehunt, & ad omnes figuras hyperbolicas ægrotos adigunt; dolorem denique & calorem naturæ infenſum ac febrilem quocumque important. Hoc fatum eſt ſpirituum, qui tam ad proletaria naturæ opera lædenda, flatibus, quam ad obeunda ipſa natura impulſi proximæ ac repentinæ eorum cauſæ fiunt.

Ergo febres omnes à flatibus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius de Saint-Yon, Regis Medicus ordinarius.
M. Claudius de Quanteal.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Regis Medicus ordinarius.
M. Franciſcus Vezou.
M. Claudius Puylon, Scholarum Profeſſor.
M. Nicolaus Lienard, Decanus.
M. Philippus Douté, Scholarum Profeſſor.
M. Nicolaus Morin.

Proponebat Pariſiis MICHAEL DE HODENCQ, Poxianus-Ambianenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1682.